

12
248

Sammelband

158



MEDITATIO

Ad solennes ferias Pentecostes

DE ADVOCATIONE
SPIRITUS SANCTI,

*Ex cap. 14. Johannis v. 16. & 26, & cap. 15. v. 26.
& cap. 16. v. 7.*

In Templo Academico recitata

à

M. Heinricho Höpffnero Pro-
fessore Logico & Alumnorum Electora-
lium Inspectore.



LIPSIÆ,

*Ex Officina Typographica Hæredum Valentini
am Ende.*

ANNO M. DC. XVII.






Generoso ac Magnifico Domino,

Dn. CHRISTOPHORO à LOSS,
in Schleinitz / &c. Cæsareæ Majestatis, & Serenif-
simi ELECTORIS Saxoniae Consiliario, Sacri
etiam Rom. Imperii Thesaurario
dignissimo, &c.

Domino, Patrono, ac Promotori suo

S. & cultum.





Editatio hæc, Ge-
nerose Domine, non debebat
incipiti consilii lance suspen-
di, cuius nomini inscribenda
esset. Nempe ad Generosita-
tem Vestram momentum omne vergebat,
ut ostenderem, me patrocinium, quo imme-
rentem dignatur, atq; isthinc oriundum
honorem seriò æstimare. Quin maximè &
huc inclinabant dotes, quibus te Spiritus
Sanctus, cuius gloriæ dicta hæc est Oratio,
coronavit. Illas non est ut per Famæ jam
exedras consecræ, & glorioso ambitu didu-
ctas admirer. Ad epitomen duntaxat me
refero solidæ ab omni ævo laudis & virtutis,
hoc est, ad Electoratûs Saxonici consilium
sanctius. Huic cum G. Vestra intersit, quis
non videt illius claritudinem à prudentiâ,
justitiâ & Religionis curâ: ad quarum amuf-
sim vota omnia diriguntur. Unde diverso
quidem flexu, eadem tamen meta semper
æquabili autoritate & gratia tenetur: SA-

A 2

LUS,



Lus, inquam, publica, & domûs Saxonicae
congener altitudo. Nec minùs etiam è pri-
vata vitæ ambulacris prominent, quæ geni-
um genusq; Vestrae G. eximiè decorant, e-
ruditio singularis, ejusq; alumna Humanitas,
& in hoc fortunæ obsequio scita tempe-
ries ac modestia. Horum ergò donorum
autorem simul & auctorem ut G. Vestra per-
petuo cultu veneratur: ita sub imagine Ad-
vocati contemplabitur in hac meditatione.
Quam quidem dum ex veteri formula G.
Vestrae L M. dico, observantiam meam unà
fisto & dedico; Deum verò imploro, ut fos-
pitem illam incolumemq; patriæ diutissi-
mè præstet. Lips. Calend. Juliis An. 1617.

M. Henricus Höpffnerus.

RECTOR

RECTOR ACADE- MIÆ LIPSIENSIS.

Paratum sit cor vestrum ad Do-
minum, adoptati in regno DE I, fratres
carissimi, paratum sit cor vestrum ad Do-
minum, cantabimus & psallemus ipsi in-
ter populos. Quia magna est super cælos
misericordia eius, & usq; ad nubes veri-
tas eius. Domine Dominus noster, quid est homo,
quod ejus memor es, & filius hominis, quod visitas
cum? Nostri memor fuit in Creatione. Cum enim ni-
hil essemus, ex gratia dedit, ut homines essemus. Nostri
memor fuit in Redemtionem: Cum enim ob mala meri-
ta nobis malè esset, bono suo merito fecit, ut nobis benè esset.
Nostri memor fuit in Sanctificatione. Cum enim in pec-
catis mortui jaceremus, Spiritum vivificantem & sanctifi-
cantem de super misit, ut resurgeremus. O profundita-
tem divitiarum misericordiæ & bonitatis divinæ!
Appropinquate filij lucis, & magnalia DE I nobiscum consi-
derate. Audite & exultate justi in Domino, ut nos rectos
possit decere laudatio. Illuxit hodierna dies, dies ob majesta-
tem maxima, ob largitatem optima, ob utilitatem celebra-
tissima. Ecce Spiritus Sanctus, Spiritus DE I, Spiritus
ipse DE U S de super mittitur. Mittitur in linguis igneis,
& omnes, quos implevit, ardentes pariter & loquentes fe-
cit. E cælo hic datur Spiritus, ut diligatur DE U S, inter-
ra datur Spiritus, ut diligatur proximus. Est hic Spiritus
ignis, quo cuncta foventur, & ventus, quo cuncta moven-
tur. Advenit foris, speciem flammæ exhibens, animas
interius

interius possidens, discipulos ad dicendum, auditores ad intelligendum informans. Hæc est ergo dies, quam fecit Dominus, exultemus & letemur in Domino. Neque enim post magnificentiam resurgentis, post gloriam ascendentis, post residentis sublimitatem restabat aliud, nisi ut promissum Patris mitteretur, & cæli muneribus cælestes homines implerentur. Advenit ergo & beatos Apostolos tetigit, tangendo docuit, ut loquerentur variis linguis, magnalia DEI predicantes. Habebant antè discipuli hunc Spiritum, sed dandus eis erat amplius: habebant occultè, accepturi fuerant manifestè, quia & hoc ad majus donum S. Sancti pertinebat, ut eis innotesceret, quod habebant. Itaque simul ac replentur statim loquuntur, qui antè tacuerant. Non est adhibita attentio ad audiendum, non tempus ad studium, sed tangendo ignis docuit, & confestim doctrinam igneam lingua ignea predicarunt. O festum sacrosanctum! miraculis & beneficiis clarum! imò quod beneficia reliquorum verè demum confirmat & obsignat. Neque enim illa nobis unquam vel obtingerent vel obtingere possent, nisi id fieret virtute & operatione Spiritus Sancti. Hic quod Christus nostri causa subiit, docet, per doctrinam fidem in nobis accendit, per fidem spem exuscitat, in vera fide & spe firma nos ad finem usque custodit ac conservat. Audite fratres, quod jam nostis, recolite quod audivistis, amate quod creditis, predicate quod amatis. Datus est Spiritus sanctus Apostolis, datus quoque nobis. Qui enim Christi est, Spiritum Christi habet. Datur non visibili specie, sed gratia invisibili, non tanta plenitudine, sed tanta utilitate. Nemo conqueratur, quod nobis illa manifestatio Spiritus non fiat. Linguae sunt signum, non iis qui credunt, sed infidelibus; prophetia verò non infidelibus, sed credentibus.

bis. Ecce spiritus prophetarum in medio nostri habitat,
cordis nostri intrat ergastulum, & donis implet spirituali-
bus. Quae verò illa? Monet, movet & docet: Monet
memoriam, movet voluntatem, & docet rationem, nec
minimam paleam intra cordis quod possidet habitaculum
patitur residere, sed statim igne subtilissima circumspectio-
nis & compunctionis exurit, spiritus dulcis & suavis. In
corde ergo piorum habitat spiritus, hac templa sunt DEI.
O quantam debet nobis hoc verbum inferre reverentiam,
afferre devotionem, conferre fiduciam! Pro presentia re-
verentiam, pro benevolentia devotionem, pro gratia fidu-
ciam. O magnam dilectionem charitatis! Repleti sunt o-
mnes Spiritu Sancto, qui concorditer uno in loco congrega-
tuerant. Ecclesia est congregatio Sanctorum, quibus da-
tur Spiritus donorum. Hos tangit, his mittitur, his da-
tur, ad utilitatem, ad salutem. Datur peccantibus ad
conversionem, & preparat cor, ut fiat templum DEI: Sed
mirabiliter preparat, conterendo malleo legis omnia ossa
eorum, arguendo omne quod est in homine, terrende con-
scientiam metu irae divinae & ignis infernalis. Datur pœ-
nitentibus, ut toto corde revertantur ad Dominum, ne
cum impiis desperent, sed per fidem in Christum reconcilia-
ti consolentur. Datur ambulanti in via mandato-
rum DEI: est via angusta, mandata DEI angusta, Spiri-
tus Domini bonus deducit nos in viam rectam, & docet
nos facere voluntatem DEI; accendit lucernam verbi pe-
dibus nostris, & lumen semitis nostris. Datur perseveranti-
bus, quia mittitur hic paracletus, qui non transeat, sed ha-
bitet, & maneat nobiscum in aeternum: hic dat velle, hic dat
perficere, hic dat permanere: beatus autem qui persevera-
verit usq; ad finem, hic salvus erit. Datur orantibus
Spi-

Spiritus gratia & precum. Nam quid oremus sicut oportet nescimus: sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Datur patientibus ad auxilium, succurrens nostrae infirmitati, & in pugna ac tentatione coadiuvans. Hostes habemus & multos & magnos. Caro impetuosè murmurat; Diabolus insidiosè tentat; Mundus captiosè invitat. Hic contradicendum, praliandum, reluctandum. Sed unde vires, ne succumbamus? Unde auxilia, quibus tot hostibus resistamus? Dominus dedit nobis Spiritum suum, hic pro nobis vigilat, non dormit. DEUS est, ergò omnipotens est. Nolite timere, omnia jam potestis, quia omnipotentem complectimini. Venite jubilemus Domino, jubilemus DEO salutari nostro. Gloriamini in nomine sancto ejus, gloriamini de dignitate vestra. DEUS habitat in vobis, illius templa estis, illius habitacula auditis. Omnia habetis, quia omnia habentem possidetis. In cæcitate & ignorantia qui versatur; illi illuminator est: horrore lethi qui cruciatur; illi vivificator est; peccatorum mole qui premitur; illi sanctificator est: Malorum nube qui cingitur; illi consolator est: Irâ divinâ qui angitur; illi pacificator est: à vero qui aberrat; illi via & veritas est. Ad virtutes incitat, à vitiis avocat, & ad sancta DEO q̄ placentia opera nos idoneos reddit. Benedictus ergò sit Dominus DEUS noster, qui Spiritum S. emisit propter nos. Benedictum sit sanctum & gloriosum nomen ejus ex hoc nunc & usq̄ in perpetuum. Atq̄ hic finis, hic scopus est institutæ festivitatis hodiernæ, ut DEO mittenti Spiritum suum, & Spiritui Sancto mirabilia in nobis operanti vota promittamus hodiè: Nec promittamus tantum, sed & reddamus: Sicut scriptum est: vovete & reddite Domino DEO vestro. Nos ergo confidenter vovea-

veamus, ille dabit possibilitatem, ut reddere possimus, modo quicquid promittimus, de ipso speremus. Sed fortasse quæretis, quid debeatis vovere & reddere? Illud nimirum, quod hodie Spiritus sanctus inhabitare voluit, ipsi voventes offerte, hoc est, animam vestram, imò corpus & animam. Et si interrogatis, quomodo vos, quos ipse habet in potestate, offerre possitis? Sciatis id fieri, Moribus sanctis, cogitationibus castis, operibus fructuosis. Avertendo à malo & convertendo ad bonum: damnando vitium, amando DEUM, diligendo proximum, impendendo misericordiam miseris, quia & nos ipsi miseri fuimus, dimittendo illis, qui in nos peccant, quia & nos omnes sub peccato fuimus: Superbiam calcando, quia per superbiam primus homo dejectus est: abjiciendo invidiam, quia per invidiam deceptus Diabolus genus humanum. Idcirco enim Spiritus Sanctus in igne & columba nobis monstratus est, quia omnes quos implet & simplices ut columbas, & ardentes facit, simplices puritate & ardentes emulatione. Nequaquam ergò Spiritu Sancto plenus est, qui aut in tranquillitate fervorem emulationis deserit, aut rursus in emulationis ardore, virtutem mansuetudinis amittit. Habitare in corpore animam probant vitales sensus corporis: habitare in anima spiritum, probat vita spiritualis. Illud ex visu & auditu dignoscitur: istud ex fide & caritate cæterisque virtutibus. Et quia verbum est vehiculum Spiritus, vestrum est ad officinam verbi, si aliàs, certè hoc quoque die frequentius convenire, & in æde Paulina, de admiranda Spiritus effusione, & liberali beneficiorum elargitione differentem devotè audire. Nec audire solùm, sed & rectè vivere, quo intret dator munerum & consolator pauperum. Quod ut faciatis, universos ac singulos seriò monemus & hortamur. P.P. in Festo Pentecostes. An. 1617.

tem, & super Christo manentem? Quis ita tor-
pet, ita totus languet, ut non excitetur sono cœ-
litus, in prima Novi Testamenti Pentecoste, in-
star venti magno impetu ruentis, demisso, & ac-
celeret ad videndas dissectas ignitasque linguas,
sub quarum forma ac certo veluti symbolo sedit
quievitque Spiritus sanctus? Cujus animus non
pascitur & quasi saginatur, quando Scholam il-
lam Spiritus Sancti extemporaneam adit, in
qua divino magisterio institutionem omnem ad
umbilicum est vestigio perduxit, & simplices Pi-
scatores ad munia Apostolica dextrè obeunda
perfecit. Non est adhibita interpretatio ad
audiendum, non consuetudo ad usum, non
tempus ad studium, sed spirante ubi voluit
Spiritu veritatis, propriæ singularum genti-
um voces, factæ sunt in Ecclesiæ ore com-
munes. Verùm & nos ipsos videamus, quos spi-
raculū illud omnipotentis regenerat, atque ex fili-
is iræ filios Dei facit: quos à recti tramite ex-
orbitantes in gyrum pietatis & officij reducit:
quos rebus accisis, perditis ac conclamatis vivi-
dâ consolatione animat, & auream illam pre-
candi artem docet, ut clamemus, Abba pater.
Quis hæc beneficia toti Ecclesiæ nobiscum com-
munia non summâ cum animi voluptate reco-
lat?

B 2

lat?

Leo Ma-
ggin serm.
Pentecostes.

Job. 3. v. 5.

Rom. 8.
v. 15.

I. Cor. 12.
v. 4.

I. Cor. 2.
v. 10.

Matth. 10.
v. 20.

Act. 20.
v. 28.

Num. 11.
v. 17.

Sirac. 38.
v. 1. 6.

lat? Accedunt insuper propria dona, quibus
diversi vitæ communis ordines peculiariter
sunt dotati. Vos ego Theologos contempro, &
video multiplicem varietatem insignium dono-
rum, ac discrimina functionum, quas unus ille
Spiritus operatur. Quæ oculus non vidit, au-
ris non audivit, vobis Deus per Spiritum San-
ctum revelavit. Non enim vos estis, qui loqui-
mini, sed Spiritus Patris vestri, qui in vobis est.
Ille vos posuit Episcopos, ad pascendum gregem
Domini. Vos etiam Politicos & ^{patris} Sacerdotes in-
tueor, & ecce prudentiam quâ polletis, omnem
Spiritu huic acceptam refert oraculum divi-
num ad Moysen factum: Auferam de Spiritu
tuo & tradam Senioribus, ut sustentent te-
cum onus populi. Vos item Medicos appello,
quos fecit & honorare iussit Dominus, dicite, à
quo alio sunt dona sanationum, nisi ab hoc sum-
mo diribitore, in Apostolos quidem miraculosè,
in vos autem ordinariis mediis collata? Vos
porro Philosophos, in quorum artibus gratam
sui famam Deus sparsit, vos quando respicio, u-
berrima se offert harum meditationum mate-
ries. Si enim Ennio vetustas bina corda tri-
buit, quòd duas linguas, vernaculam & Gra-
ecam calleret, cur non & in vobis suspiciamus
tot

tot linguarum cognitionem à Spiritu Sancto
concessam, quid non solertiam miremur, quã
spolia Ægyptiaca, hoc est, sapientiam atq; artes
Ethnicorum sanctis Christiani nominis usibus
consecratis. Deniq; in rem præsentem venite
florentissimi juvenes, vos ego quoties cerno, to-
ties seminarium mihi videre videor, quod aura
illa cœlestis irrorat ac vegetat, & ad religionis
moderationem, ad latum clavũ, aliasq; functi-
ones, quibus ornari seculum potest, largo pro-
ventu educit. Paucis multa dico: Quocunq;
vertimus oculos, æterni hujus benefactoris ve-
stigia deprehendimus: Spiritus Domini re-
plet orbem terrarum. Idcirco quisquis es, fe-
stis harum meditationum exercitiis dedere &
omnem cogitationum mundanarum vanita-
tem dimitte. Noli hujus seculi illecebris avoca-
ri, quasi præter propter vitam, non in ipsa vi-
vas. Noli præsentia lenociniis tanquam suf-
flamine quodam distineri. Noli auspiciatum
quid & proficuum tibi absq; magistri hujus nu-
mine polliceri. Iterum clamo & testor; Vox di-
vina est: Væ vobis desertores, ut ordire mi-
nitelam, sed non per Spiritum meum. Quia
verò tanta est multitudo beneficiorum Spiri-
tus DEI, ut ne ad unius quidem expansionem

Sap. 1. 7. 7.

Esa. 30. 7. 1.

B 3 satis

satis assurgere mens & lingua hominum possit,
nedum si plurimum una vice suscipiatur tracta-
tio: reliqua omnia jam illibata religiosi audi-
toris privatis cogitationibus permittam, & so-
lum illud seligam argumentum, de advocatio-
ne Spiritus Sancti, quam p̄t̄m iudicio mundi
expositi, tum ad tribunal DEI constituti solli-
cité expetunt & eterno cum fructu experiun-
tur. Quod dum facio, te Magnifice Domine
Rector, & vos omnium ordinum ac dignita-
tum viri, nec non literatissimi juvenes, pro
eā, quā par est, reverentia & studiorum signi-
ficatione rogatos volo, ut benignam facilemque
orationi nostrae audientiam pietas vestra con-
cedat. Tu verò, eterne Spiritus, linguam ani-
mumque meum dirige, quò omnia, quæ à me pro-
ferentur, ad eternam nominis numinisque tui
laudem cedant.

Veteres certis olim conditionibus descripse-
runt advocacionem, quibus ceu lineis officij hu-
jus signarent orbitam. Veri enim & fidelis Ad-
vocati est, ut 1. clientes instituat, sicubi aut du-
bitent, aut causam rectè non agant. 2. ut ambi-
gua causarum fata exponat, suæque defensionis
viribus in rebus publicis privatisque lapsa erigat,
fatigata reparet. 3. ut in fidē atque clientelam su-
am

am receptos erigat & adhortetur, ne desponde-
ant animum, sed in jure suo persequendo sint
confidentes. Hinc Ulpiano in orationem Demo-
sthenis, de male obita legatione, *ᾠδὴ κληθῆ* dicitur,
ὁ ἐκ ᾠδὴ κλησεως ἐλθὼν συνηγορεῖσαι, qui alteri
presentiam suam commodat, ejusq; causam de-
fensum venit. Tale autem patrocinium in Spi-
ritu S. representare voluit Salvator, quando
ejus nobis aduocationem pollicetur, & vocem
hanc, velut extreme voluntatis fideicommissū,
animis Apostolorum instillat: Ego rogabo pa-
trem, & alium paraclētū dabit vobis, ut ma-
neat vobiscum in æternum. Nempe & instru-
endo nos de modo agendi, & tractado cause me-
rita, & animum addendo, tutelares has partes
exsequitur. Prodeamus initiò ad mundi judiciū,
quò provocari & cruciari oportet omnes, qui piè
volūt in Christo vivere: in isto modò Calumnia,
modò Tyrannis sub Fame vitæq; discrimine ad
tribunal vocat. Illa quidē mendacium ex men-
dacione cōstitit, & per cōcōnales tubas ac falsitatis
sue emissarios criminum & flagitiorum teter-
rimorū insimulat: hæc autem eosdem vadimo-
nio obstrictos, obtorto collo tanquā escam pati-
buli in jus raptat, & nil nisi arumnas, lapides,
enses, ignes, rotas, cruces aduersus illos loqui-
tur, idq; omne juris quodā mantello cōtegit. Sed

Joh. 14.
v. 16.

enim

enim Spiritus Sancti advocatio in toto hujus
judicij tractu semper presentanea est, quae praesidium atque opem innocentibus porrigit ac tenet.
Ille fatum hoc voluntate DEI sustinendum docet, qui fame vitaeque periculis, ut aurum ignibus, exploret ingenium eorum, qui à suis stare partibus volunt. Ideò vita fameque temporaria, et adventitiorum bonorum, ac fortunae misilium perditionem extenuat, quae in censum nunquam retulerint aeternae vitae ac gloriae Candidati, caelestibus bonis, quae miseris terrenis vicem essent repositura, satis contenti. Quin et imitanda proponit exempla Abelis, et aliorum, non tam hominum, quam Constantiae nomina, in quae debacchat et simili acerbitate sit lymphatica mundi rabies. Adhuc etiam apud se apologiam non praecipientibus, largituros et sapientiam, ut non possit adversaria pars resistere, sed simul ac audiantur vincant, et semper latum, tametsi in letho, causae eventum ostendit. Nescit enim crudelitas et injustitia quid agat, et licet omnem roboris sui senatum convocet, non tamen seriem litis pro libitu suo abrumpet. Restat alia instantia, quam decretoria illa citatio continuabit: Surgite mortui, venite ad judicium. Hoc declinare forum, hoc judicium protelare,

hoc

hoc vadimonium deserere non poterit. Eò Spi-
ritus Sancti auspiciis provocant, illū processum
urgent p̄j, ut justis vindiciis asseri corpora quo-
que sua interea expetant anima, jam vinculis
illorum soluta: Uiquequo Domine, qui san-
ctus & verax es, non judicas ac vindicas san-
guinē nostrū de iis, qui sunt in terra. Quid ve-
rò & Christianos animi putabis habituros, si nō
in talibus justitiæ deliquis ipsos erigeret Spi-
ritus Sanctus. Videmus profectò quomodo in hac
presertim ævi crepidine gerere se in miseris &
erumnis ingloria soleant pectora: ut saluti suæ
irata protinūs ad restim properent, ut se ferro
adigant, ut aquarum immani submersione fu-
nereum honorem aspernentur, & gemebundum
Spiritus æternæ calamitati tradant. Sed ful-
ta Spiritus Sancti patrocini pietas tantum
abest, ut succumbat adversitatibus, ut potius
gloriæ sibi ducat ignominiam Christi nomine
inflictam: cruciatus mortemq; ipsam non time-
at, sed ultrò vocet, & magis damnata, quàm
absoluta tripudiet. Testor in primis augustissi-
mam Martyrum coronam, quæ defensionem ac
consolationem Spiritus Sancti mirabilem in-
modum est experta, ut nulli unquam paria cum
illis facere poterint. Prodeat omni ex antiqui-
C tate

Apoc. 6.
v. 10.

tate gentilitas, & salvo colore exempla talia
monstret. Ubi est trepidans Catonis ferrum,
hostili metu transactum: ubi imperterrita Sca-
vola manus, ignibus errorem expians: ubi Re-
guli bello succumbentis dolium? Quid alij pau-
ci exilio, bipenni, veneno, sanguine ac precipi-
tio celebrati? Quid enim hi ad innumerum
martyrum Christianorum numerum, quid de-
cem aut viginti è tanto gentilium coetu? Non
sinit tempus per exempla ut eamus, & ad pri-
mam originem recensos notemus ordines eo-
rum, quibus capital fuit Christum confiteri.
Nostis quid illa piorum fatalia mala, Antio-
chus, Nero, Trajanus, attentarint: quibus odi-
is & suppliciis infestarent nomen Christianum
propudia illa seculi, Domitianus, Decius, & ul-
tima sceleratissimorum Apostatarum linea Ju-
lianus. Quod si & haec remotiora videntur,
lustrate ceteriora tempora, quae tyrannide sua
filius ille perditionis infamavit. Quid dicam
auditores? Pardalin vobis cum Divo Johanne
imaginamini, & crudelitatis Romanensis spe-
ctrum habebitis expressum. Bestia illa inimicis-
sima est homini, cujus nec imaginem ferre pot-
est, quin visam in charta furiosè discerpat. Et
quid ab hac dissimile in Papa? Christi, non

Vi-

Apost. 13.
v. 2.

Vicario, sed Sicario, Ecclesia non Doctore, sed
Decoctore, non Pracone, sed Prædone, non Pa-
store, sed Impostore, non Pontifice, sed Carnifi-
ce. Replicemus modò annales, & videamus
bella in veros Christianos, hoc est, ad imaginem
DEI renovatos homines, gesta. Cujus enim
nisi Papæ sanguinolentis auspiciis sub Gallia-
rum Rege Innocentio Tertio centum millia ob-
fidem perierunt? Quis alius libertatem reli-
gionis tot persecutionibus abrogatum iovit Bo-
hemis, Albingensibus & Waldensibus? Quis
ad Germanicos tumultus, & protestantium
bella classicum cecinit, nisi dira illa & ex una
urbe oriunda totius orbis pernicies? Quis in
Angliam tam brutis fulminibus sævit, ean-
demq; classium Hispanicarum fremitu percelle-
re voluit, nisi Vejovis illius è monte Tarpejo,
scæva tonitrua? Possem, Auditores, alia sex-
centa memorare hujus sanguinolentæ crudeli-
tatis argumenta: possem exponere Thyestæa
convivia, Babylonica illius meretricis arbitrio
in Galliis apparata, & tricies mille piorum,
qui Idolomaniam Romanensem ejuraverant,
sanguine, per unius mensis spacium, conte-
merata. Sed nihil ulterius ab alieno cala-

mo referam: testem modò volo ultimam vocem
Ferdinandi Alvaris, Ducis Albani. Ille jam
moribundus, octodecies mille & sexcentorum
hominum carnificinas & supplicia fassus est,
nec tamen inquisitioni Jesuitarum se satisfecisse
existimavit. O plus quàm belluinam diritatem:
ò martyrum innumerabiles myriadas! Dubitarim
ipsa flumina sedes suas tenuisse, quorum
alveos tantus martyrum cruor explevit. Ingemuisse
bruta dixerim, quibus tam vario purpurata sanguine
terra herbescentem viriditatem negavit! Sed non
in numero duntaxat martyrum elucet efficax Spiritus
Sancti advocatio: oculorum acies etiam ad
conditionem illorum, ad patientiam, ad varia
tormentorum genera flectatur. Inveniemus,
qui hoc agantur iudicio, nobiles & ignobiles,
primates & extremos, lautiores & tenuiores,
de quorum salute promiscuè lata fuit damnatoria
sententia, non secus ac si de capitibus papaverum
ac cucurbitarum ageretur. Etiam dico? virgines
& pusiones, supra etatem, & supra viros,
virtutemq; bellicam fortes, quos ipsi alienigenæ
& à civitate Israël ex torres stupeant. Quid enim
è media gentilitate sunt viri, ad lacteam juventutem?
quid per aspera & dura, per vulnera & sanguinem edo-

eti,

Et, ad teneras foemellas. Fuerit sanè animas
aliquis etiam in sequiore sexu gentilium: in
ignes devolaverit Asdrubalis uxor; sit alia,
quæ ut hostili se ludibrio eriperet, aspides pe-
ctori immisit: alia etiam, quæ marito vita &
mortis sociæ esse voluerit: Item alia, quæ lin-
guam in tyrannum expuit, ne conjurationis
proderet socios. Sed quales hi fines sunt dolo-
rum istorum, nisi vanæ cujusdam gloriolæ &
infamis famæ aucupatio, ad mentitæ cujusdam
fortitudinis comparata ostentamentum, cujus
personam subsequens doloris acerbitas detra-
xit! Quæ causa perferendi cruciatus, nisi ab-
jecta quædam animi desponsio, quem non illu-
strabat fides, non dirigebat caritas, non gloria
vnius DEI, quæ suprema lex est & regula lau-
dandarum actionum. Longè alia in martyrum
circo se offert patientia & magnitudo: nihil il-
li inæquabile, nihil tetricum, nihil ad propriam
laudem affectum: omnia ad gloriam DEI dire-
cta. Ridet in equuleo unus & quasi in molli
pulvinari jacet letabundus; alij candentibus se
clavis configi, fustibus percuti, facibus a duri
plumbatis, tanquam ex alto prospectant. Las-
santur prius carnificû manus, quàm vel fron-
tem caperent aut demittant, & inter ungulas

*duodennis caro stat interrita: putes saxa con-
tundi, aut adamantes tentari novacula: pu-
tes torturas ut amica fomenta haberi. Audi
è prunis Laurentium Tyranno insultantem:*

*Prudentius
Hym. 5.
ωε 58-
Φάτωρ.*

*Converte partem corporis
Satis crematam jugiter;
Et fac periculum, quid tuus
Vulcanus ardens egerit.*

*— Coctum est, devora,
Et experimenrum cape,
Sit crudum, an assum sua-
vius.*

*Deniq; de variis tormentorum generibus quid
memorem? veniant pagani & non contremi-
scant ad calcatas prunas, ad epotum plumbum,
ad ardentes fornaces, ad ora belluarum, ad la-
pides, enses, rotas, cruces, ad mammillarum se-
ctiones & inardentes lateribus tædas, atq; alios
cruciatu ipsa sua turpitudine infames, quibus
per matrum viscera ire, & naturæ secreta fun-
dere, ipso etiam sole erubescere, ausa est Cru-
delitas? Quod aliud quæso sævitie genus vel hu-
mana invenire malitia, vel bilis furibunda di-
ctitare, vel ipsa infernalis officina sufficere
poterat, quo Christiani pro nocentibus, veluti
publici odij litamenta immolarentur. Quin
ergò herbam porrige Christiano nomini gentili-
tas, & tantam martyrum in tot tormentis, &
ex quocunq; ætatis ac vitæ ordine, multitudi-
nem ac patientiam, non humanis viribus ad-
scri-*

scribe, sed in solidum Spiritus Sancti ad voca-
tionem relinque. Vos verò Tyranni & persecuto-
res interea ite, ac Deo vos obsequium prestitis-
se putate. Veniet tempus (venisse nolletis)
cùm tripudia hæc vestra æterna lamentationes
excipient. Intellexistis jam satis opinor, Au-
ditores, quomodo summus ille paracletus vadi-
monium obeat piis in mundi iudicium arcessitis:
videamus nunc porrò, quomodo ejusdem Spiri-
tus Sancti defensione, coram DEI tribunali o-
mnes fideles jure experiantur. Ecce autem
majestatem divinam in throno suo iudicium
exercentem, quæ personam non acceptat,
neq; ullis deliniri modis potest, nisi justitiæ
sue examussum satisfiat. Insurgit hinc Sa-
tanus, osor ille & capitalis inimicus hominis,
cui dicam scribit perduellionis, aliorumq; de-
bitorum criminalium reo. Sistitur exinde
debitor, ab omnibus creaturis, imò à seipso
relictus, & jamdum domestico cordis testimo-
nio convictus ac præjudicio damnatus. Po-
nè subeunt angustia, cumq; Furiis horror
& tremor, quæ suum studium accusatori
navant, & miserum hominem lancinant

ac

Augustinus
in Sermonibus
contra paganos & Arrianos.

*Cyprianus
in Sermonibus. I.
qui inscribitur de elemosyna.

acterritant. Producit denique libellum accusationis, & sic agit Diabolus: Æquissime Judex, judica quod æquum est: judica, meum esse, qui tuus esse noluit: post renunciationem ut quid invasit pannos meos? quid apud eum lascivia, impudentia, incontinentia faciebat, quibus ipse renunciaverat? quid intemperantia, quid gula, quid avaritia, quid ira, quid superbia, quid fastus, quid cætera mea? Hæc omnia mea post renunciationem invasit, meus esse voluit, mea concupivit. Judica, judica, æquissime Judex, quoniã quem tu non dedignatus es tanto precio liberare, ipse mihi se postmodum voluit obligare. *Ego pro isto nec alapas accepi, nec flagella sustinui, nec crucem pertuli, nec sanguinem fudi. Tibi hoc nomine devinctus erat, sed iste adeò immemor sui officii, à te tamen deficere & mihi adhærere voluit. *Sed cessa tandem, Adversarie, clamoribus tuis reum obtundere, atque invidiosis criminibus obnoxium agere. Præstò est patronus ille cælestis, qui clientis sui causam non relinquet indefensam ac desertam. Propterea confidentem habes reum, qui DEI justitiæ pro se in assensatis factum esse novit. Scitur vas & ex promissor*
Chri-

Christus, qui in plenitudine temporis loco hominis iudicium hoc subiit, nec pro antecedentibus tantum debitis, sed & in antecessum profuturis solvit, atque ita ab omni criminalis obligationis nexu liberavit. Hunc enim, qui non novit peccatum, pro nobis DEUS peccatum fecit, ut nos fieremus iusticia DEI in eo. An verò non est redditum, quod nos debiti convincebat Chirographum, & delegati debitoris sanguine inductum, atque ut toti mundo, cœlestibus & terrestribus, Angelis & hominibus satisfactio hæc in propatulo esset, cruci affixum, eoque medio sublatum? Et quomodo nunc intestinum cordis præiudicium, quod Instrumento isto obligatorio nitebatur, jugulare causam accusati potest? Neque verò cardo controversiæ in eo vertitur, utrum miser iste peccarit, sed annon fuerit pro omnibus debitis, etiam futuris, insolutum pro eo datum sponte sua delegati debitoris precium. Testes sunt sacrarum rerum tabularum, fide & exceptione omni majores, quorum eò collineat unice Evangelium. Notum sit vobis, quia per Christum vobis remissio peccatorum annunciat, & ab omnibus, quibus non potuistis in Lege Moysis justificari: In hoc omnis, qui credit, justificatur. Contra

D hoc

2. Cor. 5.
v. 21.

Col. 2. v. 14.
& 15.

Act. 13.
v. 38. & 39.

Pf. 40. v. 8.
Heb. 10.
v. 9.

hoc tam certum tamq̃ exploratum jus fori di-
vini adversarius regerere nihil aliud potest,
præter frigidum hoc schema, quòd in solutio-
nem alienum nomen accipiatur, cum tamen
peccator ad propriam luitionem obstrictus sit
justitiæ divinæ. Sed enim fidelis istius Advoca-
ti suggestionem oportune novit accusatus, rigi-
dum illud justitiæ divinæ forum declinare, &
ad misericordiæ tribunal provocare, quod stri-
ctum jus æquitate temperat, nec interesse pro-
nunciat, utrum quis solvat ipse, qui debet, an
alius pro eo, si delegatus modo nomen illud lu-
bens exsolvat, & creditor annuat. Jam hic
præstò est Christus, qui sponte sua criminibus
nostris reum se supposuit: Ecce adsum, inquit,
ut faciam Deus voluntatem tuam. Consentit
item summus ille creditor noster DEUS Pater,
atq̃ ex immensa gratia vicariam hanc filij sui
solutionem acceptat, homini autem imputare,
atq̃ absolutionem impertiri promptissimus est,
nec quenquam vult perire. Erubescere ergò, Sa-
tana, & confundere calumniosâ istâ actione
tuâ, cum omnem naturam obligationis ener-
vet, atq̃ ipsam intentionem tuam excludat de-
legationis exceptio: cum privilegium decli-
nandi strictum DEI forum ab ipso iudice & Re-

ge

ge nostro datum sit reo, alienam illam solutio-
nem sibi applicanti: Qui credit in me, non
venit in iudicium: qui verò non credit, jam
iudicatus est, hoc est, in eum jam statuta est
sententia damnatoria, quam in extremo die
certissima exsecutio, & poenarum aeternarum
irrogatio excipiet, in quibus nulla vicaria,
nulla succedanea in suppetias aut levamen de-
mutationes erunt, nemo alienas vices, singuli
suas perferent, solaq; si qua sequetur, dirior vi-
cissitudo erit. Quis itaq; intentabit crimina
adversus electos DEI? DEUS est qui justificat:
quis est, qui condemnet? Christus est, qui
mortuus est; imò qui & resurrexit: qui et-
iam est ad dextram DEI, qui etiam interpel-
lat pro nobis. Dic aliquid contra, Moses, &
consolationis hujus veluti cornu quoddam co-
pia interponet Spiritus Sanctus, quo terricu-
lamenta tua explodat. Concita inauspica-
tum timorem, Satana, & crudum de pec-
cato mœrorem exaspera, non tamen fati-
scent p̄i, quorum pectora Spiritus San-
ctus obfirmat, ut plusquam victores sint
intentationibus tuis, & persuasum sibi ha-
beant, neq; mortem, neque vitam, neque

Job. 3. v. 18.

Rom. 8.
v. 33. & 34.

D 2

An.

*Psal. 142.
v. 29.*

Psal. 51. v. 1.

*Psal. 32. v. 1.
v. 2.*

*Bernh. super
Cantica Ser.
23. & Serm.
61.*

Angelos, neq; principatus, neq; potestates, neq;
instantia, neq; futura, neq; sublimitatem, neq;
profunditatem, neq; ullam creaturam posse nos
separare à dilectione DEI, quæ est in Christo
Jesu Domino nostro. Hic modus est, hæc ratio
agendi in Dicasterio divino, quam Spiritus
Sanctus omnibus salutis æternæ hæreditariis
præscribit. Davidem cernite, qui cum adulte-
rj & cædis atrocissimæ flagitio se obstrinxis-
set, quàm anxie strictum DEI jus deprecatur:
Ne intres, Domine, in iudicium cum servo
tuo: quia non justificabitur in conspectu
tuo omnis vivens. Mox in misericordiæ di-
vinæ intimis visceribus, inq; merito Messie in-
tentionem suam fundat: Misere mei DEUS
secundum magnam misericordiam tuam:
& liberationem à peccato obtinet, ut letabundus
exclamet: Beati, quorum remissæ sunt ini-
quitates, & quorum tecta sunt peccata: Bea-
tus vir, cui Dominus non imputat peccatū.
Vultis etiam processus hujus exemplar è Papa-
tūs tenebris eminere, sub quo aliàs circus Justi-
ficationis humanæ nefarie turbari cæpit, & pu-
tida opera in conspectum DEI irruere non eru-
buerunt. Bernbardum audite: Sufficit mihi
ad omnem justitiam solūm habere propiti-
um

um DEUM, cui soli peccavi. Ego, quod ex me mihi deest, usurpo mihi ex visceribus Domini, quoniam misericordiâ affluunt, nec desunt foramina, per quæ effluant. *Sed enim Satanas, etiamsi causa cadat, tamen, quæ est impudentia ipsius, sæpius redire solet, & antiquâ hominem actione pulsare, præsertim cum ad fatalem metam perventum est, ubi omnia sua machinamenta anxie depromit. Hinc ante oculos hominis statuit peccata accusantia, illinc terrentem justitiam: subtus horrendum chaos inferni; desuper iratum iudicem ostentat: intus autem conscientie quatit flagellum. At neque tunc emortuum est Patroni nostri auxilium, quo clientem adjuvet. Nam cum hic nec audire, nec videre quid, aut fari amplius potest, ille pro eo gemitibus inenarrabilibus interpellat, & satisfactionem sufficientissimam à Christo præstitam, DEO quidem justo Iudici præsentat, homini autem in memoriam revocat, & firmiter applicat, ac testimonium reddit Spiritui nostro, quod simus filij DEI & heredes vite æternæ, ut in victâ fiduciâ cum Apostolo concludamus: In fide vivo filio DEI, qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me, non abjicio gratiam DEI.* *Historiam de eodem Bernhardo*

Gal. 2. 20.

D 3

cogno-

In vita
Bernhardi
ca 124

cognoscite, quae meo iudicio familiam in isto
temporum tenore ducit, atq; inde S. S. advoca-
tionem estimate. Bernhardus cum extremum
jam spiritum trahere videretur, in excessu
mentis suae ante tribunal Domini visus est re-
presentari. Adfuit ex adverso Satanus, im-
probis eum accusationibus traducens. Ubi au-
tem & viro DEI pro sua parte dicendi copia fa-
cta est, nihil territus aut perturbatus ait: Fa-
teor, non sum dignus ego, nec possum pro-
priis meritis regnum caelorum obtinere.
Caeterum illud duplici jure obtinet Domi-
nus meus: haereditate scilicet Patris, & me-
rito passionis. Altero ipse contentus, alte-
rum mihi donat: ex cuius dono illud mihi
jure vendicans, non confundor. Ita succu-
buit accusator generis humani, & cum pudore
a iudicio discessit. O vero auxilij, o praesidij, o
perfugij, o solatij & opum copiam, quam rebus
hominum desperatissimis Spiritus Sanctus af-
fert! Ad illum, Auditores, accurramus, hujus
advocationem nobis gratulemur, & assiduam
meditationem faciamus, ut monita ipsius inole-
cant animo, atq; ad imos sensus permanent, ut
defensionem ipsius ac consolationem vertamus
in succum & sanguinem, & gloriosorum ejus
cli-

clientum exempla in actum traducamus, atq;
ad fiduciam proficiamus, quoties mundi ludi-
briis exponimur, aut coram DEI tribunali si-
stimur.

Quare impleamini Spiritu Sancto, & vo-
tivas illi tabulas in hoc pietatis sacrario mecum
suspendite: Veni Sancte Spiritus, & emitte
coelitus lucistuae radios. Te universa Eccle-
sia adorat & colit: Assere illam & firma in ve-
ritate, variamq; ac miscellam religionem ex-
termina. Prosternit se coram te & Politica
Hierarchia, & nomen tuum agnoscit ac postu-
lulat: suffulci illam prudentiae tibicine, ne
consilij expers mole ruat sua: A tua etiam
gratia & ope sollicitus pendet, atq; unicè re-
creatur Pater patriae nostrae Dux & Elector
JOHANNES GEORGIUS, & quotquot
sunt è domo Saxonica, fideli devotoq; affectu
congeniculant. Bea illos propter nomen tuum
longevitate, & ab omnibus periculis sospita, eo-
que dirige, quò gloria tua & satus publica ve-
xillum explicabunt. Serva item ac rege sapien-
tum commercium, quibus in capessendis Electro-
ratus habenis utitur, ut & privatim sanctè atq;
innoxie vivatur, & publice justitia pietasq; vi-
geat. Tibi porrò Academia nostra supplicat,

&

*Et Magisterio tuo omnem solertiam acceptam
refert. Fove illam, o alme Spiritus, Et cathe-
dras docentium anima, quo nil nisi salutaria Et
in publicum utilia sonent: Discantium vero a-
nimis igneum vigorem studiumque cupidum in-
stilla, Et conatibus auram benedictionis tue
aspira. Tua denique charismata venerantur Et
humiliter suspiciunt summi, medioximi, imi,
calidisque precibus inclamant:*

Datuis fidelibus

In te confidentibus

Sacrum septenarium.

Da virtutis meritum,


Da salutis exitum,


Da perenne gaudium.


*Ita fiat, o eterne Spiritus, o spes nostra, o honor
noster, o salus nostra: Tibi cum Patre Et Filio
sit laus, decus Et gloria in omnes seculorum
myriadas. Amen.*


F I N I S,











Mk 2151

ULB Halle 3
004 357 221




A


Se

VD 77







MEDITATIO
Ad solennes ferias Pentecostes
**DE ADVOCATIONE
SPIRITÛS SANCTI,**
*Ex cap. 14. Johannis v. 16. & 26. & cap. 15. v. 26.
& cap. 16. v. 7.*
In Templo Academico recitata
à
M. Heinricho Höpffnero Pro-
fessore Logico & Alumnorum Electora-
lium Inspectore.

LIPSIÆ,
*Ex Officina Typographica Haredum Valentini
am Ende.*
ANNO M. DC. XVII.

